Collegiũ Scholar. Piar. Fax nuptialis

FAX
NUPTIALIS
Ex avitis Illustrissimarum Familiarum Ceris
CONFECTA,
Nunc ad Solennem Nuptiarum pompam
Illustrissimæ Domûs POTOCCIANÆ & CZARNIECCIANÆ Splendorib'
ACCENSA,
Atq;
ILLUSTRISSIMO DOMINO
D. MICHAELI
DE POTOK in PODHAYCE
POTOCKI
Palatinidæ Cracoviensi, Capitaneo Krasnostaviensi.
&
ILLUSTRISSIMÆ DOMINÆ
D. SOPHIÆ
CZARNIECKA
Illustrissimi Dni D. STEPHANI CZARNIECKI
Notarij Campestris Regni, Lipnicensis, Kanioviensis Gubernatoris;
Inter festivas Hymenæi tædas
A Devotissimo Illustrissimis Domibus Collegio Chełmensi Scholarum Piarum
PRÆLATA
Anno mittentis in terras ignem Dei 1689. *Maij.*

VARSAVIÆ, Typis Collegij Scholarum Piarum.

Junxit honeſtus Hymen illuſtribus illos. *Strozius.*
Lucida fax, geminâ luce coruſcat, amor *Pont.*
Vrunt quæ calidæ pectora Veſtra faces. *Pamph.*

In Gentilitia Arma
Illuſtriſſimæ Domûs POTOCCIANÆ.



Vanum Roma vetus tua Septizonia jactas,
Et celebras medio lapſa theatra foro.
En nunc orbe nitet CRVX conſpicienda Polono,
Septeno tollens ſe ſuper aſtra gradu.
Hîc Honor, hîc Virtus, agit hîc POTOCCIA Fama
Actorem; **Validos** Scena dat iſta Viros.

PRÆFATIO
AD ILLVSTR: NEOSPONSOS.

REdarguetur temeritatis ſubmiſſio noſtra, quod intra feſtivas Hymenæi dies Facem accendit ILLUSTRISSIMI DOMINI. Enimverò nativi Veſtri Splendores non tam tenui refulgēt luce, ut alienis illuſtrari exambiant nitoribus: imò Illuſtriſſimæ Domûs Veſtræ, ceu primæ magnitudinis in Polo Polono ſydera, luminis ſui Majeſtate, ſupra minutiora attolluntur phænomena; ut potè in publico ſemper honorũ exiſtentes meridie. Ephebum agat neceſſe eſt Phœbus, ſolennitati huic facem prælaturus, in quam conſpicuâ fulgoris ſui influat claritudine. Adeſt ad hanc pompam & Chelmenſis Palladis Noſtræ ILL^mi^ NEOSPONSI: qui ex vaſtiſſimo Auguſti Sanguinis eluctatus Archipelago, in primo ortu ſuo ingentem trahit umbram, candorem ſuum literariâ inumbrans fuligine. Illuſtrabuntur tamen & hi literarum carbones, vivoſq; aſſumēt ſpiritus; quia non conſepulta ſolùm in ſe fovent flãmarum ſemina, verùm grandiores propenſionis Pyras, ab accenſis Antenatorum Veſtrorum Ceris incaleſcen-

leſcentes & inclareſcentes. Effugiet tandem cenſuram pauper Diogenes, quod in ipſa lucis Patria facē præferat, in confertaq; hominum multitudine, acſi homines quærat, eſtò plurimos numeret ſub labaro POTOCCIANÆ CRVCIS Patriæ militantes, quos per Sanguinis Erithræū Gentilitia CZARNIECCIORUM Vexerat ARGO delectos Heroas; Te tamen ſolum, ut grandem Majorum Tuorum Epitomen, Par Illuſtriſſimum veneratur, ac feliciter in connubialia Hymenæi fœdera deſcendenti prodromo præit officio. Dum ergò

Afflarunt tepidas pectora Veſtra faces

hanc etiā Facē ILLUSTRISSIMI NEOSPONSI benignâ manu prehēdite, atq; lōgos ſæculorum tractus

Vivite felices animis concordibus ambo
Quàm longū face ſol renovabit lumina cœli.

Ita vovet

ILLVSTRISSIMO NOMINI VESTRO

Deuinctiſſimum

Chelmenſe Collegium
Scholarum Piarum.

SPLENDOR I.

Ex ILLVSTRISSIMIS POTOCCIORVM CRVCIBVS accensus.

TEmplum Honoris Oratorius involans calamus,
Non dubitat, quem acclini revereatur Cultu;
præstò est fronti præfixa CRVX Tua
ILLVSTRISSIME NEOSPONSE.
Initialem primæ paginæ inarans literam penna
Tergeminam POTOCCIORVM operi suo CRVCEM præfigit,
Rata, non planiori Eloqventiæ flumina posse decurrere alveo,
Quàm aureo hoc compulsa tridente ad malaciam;
Quin potiùs exilis facundiæ Phaselus
Tutò in Augusti sanguinis eluctatur latifundia;
Sacrâ hac roboratus Anchorâ.
Hinc conqviescunt & illæ intra Scholarum Classes oborientes Theses,
Vndè incipiemus?
Inclyto POTOCCIANÆ CRVCIS signo resolutæ.
Cujus triumphali auspicio
Non Martis tantùm acies, sed & Palladis;
Non bellici pugiones, verùm & Scholastici styli contendunt ad victoriam.
Hic demùm tenuitatem suam metitur penna,
Iamq; depresso sub sidere volatu cogitur,
Dum in eam altitudinem DOMVS VESTRÆ Famâ cernit eluctari,
Vt ipsis contermina syderibus videatur.
Curiosam igitur everberant pupillam nitidissimi hi Splendores;
Neq; aliter se aspici patiuntur, quàm sub atrato literarum velo.
Omnes Tuos Aborigines Servios vidit Patria,
Servile quidem nihil, nisi nomen præferentes.
In fascijs ad fasces designatos

Zelantesq; pro integritate sui experta Flaminios,
Dū in cunis Illustris: propaginis flamma circum tēpora eis serperet.
Indices radij honorum fecêre Candidatos,
Circumfusa luminis Majestas Sarmaticos probavit Soles,
Centrum lucis in aurea Phoebi pupilla posuit Orbis;
Polonia in POTOCCIORVM CRVCIBVS;
Exindè naturam solis imitatæ, à 500 ampliùs annis
Polonum illustrant orbem,
Tot jam sæculorum lustris indefesso lucis coruscantes nitore.
Et hæc demùm raritatem sapit felicitas,
Ita oriri, ut non occidas.
Enimuerò crescendo decrescunt præclaræ stirpes,
Vbi successorum non augentur decoribus,
Illustrem licèt ad natales cunas Lucina accendit Lucernam;
Tamen à successoribus eidem vel sapientiæ oleum,
Vel ATHLETICÆ fortitudinis ceroma affūdatur necessū est;
aliàs splendor ille in cyanidū abiturus fumum.
Ingentes fluvij pleno per longas terrarum ambages decurrentes refluxu
brevi desiccarentur, nisi subsequentibus fontium juvarentur suppetijs.
Mentiuntur adulterinum subinde Astrorum fulgorem
E putri terræ gleba assurgentes in altum vapores,
Dumq; alienâ virtute attracti in lucis consistunt patria,
Priùs deficiunt, quám lucere incipiunt.
Communis quædā est affinitas Illustribus Familijs cū Cælestib9 Astris.
Abindè hæc noscuntur, si fixa suo fulgore Zodiacum illustrent;
Abindè illæ, si longo sæculorū tractu illibatū sui cōservent splendorē.
Exortum Illustre hoc Familiæ Vestræ sydus in climate Sarmatico
Anno Centesimo Septuagesimo Nono supra millesimum,
In quo optimè disponentibus ita Fatis Christiano orbi provisum,
Vt brevi orituræ Othomanicæ Lunæ
Crux Vestra è diametro opponeretur;
Aut veriùs Triformis illa Hecate á Tergemina CRVCE obnubilaretur,
Quæ jam in trophæum fædifragæ Prussorum erigebatur perduellionis.
Primus facem hanc mundo intulit verior Prometheus Zyroslaus,
A Regali Casimiri Iusti Solio, ceu à Sole, depromptam.

Non

Non vano sanè omine:
Post hunc enim ignẽ æthereâ domo subductũ
Macies, novaq; cædium terris incubuit cohors Musurmanicis.
Cruciarias usq; hodie experitur flammas in CRVCIBVS POTOCCIANIS
Infamis Regnorum prædo,
Nisi fortasè cum evanido sydere gratuletur sibi, ut pereat,
Dummodò his illustretur luminaribus.

SPLENDOR II.

E Senatorio murice Illustrissimorum Antecessorum in Illustrissimum NEOSPONSVM repercussus.

RVbescit prima paginæ frons,
Sive quod Senatoriæ purpuræ inclarescat jubare,
Sive ad ingenuum hunc pudorem damnata, tenuitatem suam erubescat.
Primò quidem Vobis militare debuit
Illustrissime CRACOVIENSIS PALATINE & Illustris. D. CASTELLANE.
Vos Laticlaviæ huius dignitatis prima estis Capita,
Purpuratorum Primicerij,
Qui in grandi Illustrissimæ Domûs Vestræ adnotantur syllabo.
Sed patiemini primum laudis ingredi campum,
Prioritate naturæ jam pridem Vobis præmissos.
Prodit primus Purpuratorum Avus, Parens, Heroum Nepos
IOANNES POTOCKI Palatinus Braclaviensis
Abavus Tuus ILLVSTRISSIME NEOSPONSE.
Validum hic trabeatæ dignitati admovit Arietem
Adstipulantibus meritis, Braclaviensis Satrapiæ expugnans Antibases.
Hîc demùm dubium est,
Semper ne Analogicè Ioanni conveniat dici Phosphorum,
Aut lucis anteambulonem?
Quod Illustrissimæ POTOCCIORVM DOMVI tũc primò Senatoriæ purpuræ
ortum invexisset,
Cùm jam quadringentis abindè propè annis in honorum eluctaretur meridiẽ.
Sarmatia nostra obscura quondam Cymeria

Vt potè nondum Scholastici Phœbi conspicuo irradiata fulgore
Lucis publicæ expers lucidissimos etiam inumbrabat soles,
Tuncq; primò orientes venerata est,
Cùm fulgore armorum pro radijs circumfusi, atram sibi illā noctē excussissent,
Hinc somnians quasi rude illud & illiteratum sæculum
Quidquid ad creperam lucē advertit, tunc obiter adnotavit,
Quando alati temporis deciduæ longo senio pennæ
In scriptorios illi cessissent calamos.
Vltus est injuriosam Antecessoribus suis temporis socordiā Ioannes;
Et illorum Merita in se coronavit,
Victoriosissimi vel ipso nominis Ethymo Parentis Filius
Pro Lucinæ facibus inter Gradivi natus ignes,
Pro balneo, Naupactum Achaiæ sinum habuit;
Ad quæ vada cùm Imperatore Orientis (è more veterum) delatus,
Vt in tenerá ætatula ad maiora olim cum Cosacis, Moschis, induresceret certaminá.
Militat sanè ipsi, quòd puer sudavit & alsit.
Huius ita duris bellorum rudimentis exerciti Neoptolemi
Senserunt Arietem concussa Smolensci mœnia;
Iamq; non pelliceā illius Zonā, sed duræ obsidionis constricta cingulo
Vltimum propè exhalârunt spiritum.
Et né victoriosis solus sæcula oneraret fastis,
Vt virtutis suæ non degenerem, ita & dignitatis successorem
Vterinum reliquit IACOBVM.
Fulmen illud erat belli. quia filius tonitrui,
Prælusit purpuræ hostili, priùs sanguine purpuratus:
Aliter Senatoriam Braclaviæ Curulem conscendere ingloriùm ratus,
Nisi per aggesta hostium cadavera Ascensu purpureo.
Michàël olím pro Crucé, nunc contra Michàélem nativâ Cruce
præliatur IACOBVS, ac in Dacia triumphat.
Patritia Livoniæ sydera in Svetico Leone Sirios in Patriam evomebant ignes.
Hic tamen cœlestem æmulatus,
Vbi IACOBI affulsit Lux, disparuit.
Quiq; venit ad prælium Sueticus Leo, musca ex acie decessit.
Arduum illud & ipsis nubibus minax Sechini supercilium
Ad hanc assuefecit modestiam,

Vt

Ut qvo anteà coronata etiã despiciebat capita,
Ad victrices Regis nostri plantas deprimere debuerit,
POTOCCII dexterâ ad eam compulsus humilitatem.
Accedit nõ mediocre Capiti Tuo coronamentũ
In STEPHANO POTOCKI, ILLVSTRISSIME NEOSPONSE;
Calamitosa Reipublicæ tempora Lydij vicem gerebant lapidis,
Quo eius erga Regiam Majestatem probaretur fidelitas.
Inter fumantes licèt Patriæ focos,
Vividos STEPHANVS erga Serenissima capita amoris fovebat ignes;
Inter incineratum civilibus bustis Polonũ orbem, verus scintillabat Adamas.
Purum putumq; aurum in flammis non consumitur, sed à scoria depuratur;
Levis palea, vix flammam sentit, in cineres redigitur.
Nihil in eo adulterinum Suprema Majestas advertit,
Sed intaminatam sinceritatem,
Ac proinde tutelæ eius Serenissimam Reginam cum Augusta prole commisit;
Cui sanè citra Nominis nomenclaturã Corona servire debuit, quàm Stephano?
Vbi tandẽ enubilata fronte amænius coelum Regno affulsit;
Inter procellosas bellorum tempestates enata illa gemma,
Regali ita adhæsit coronæ, ut delicium haberetur.
Mortalitatis marmor in Stephani invenerunt lapide
Moldavi, Turcæ, Scythæ,
Vt novum iterùm orbis stuperet prodigium
Extra Romanum Tyberim, in Albano monte,
Sed ad Mæoticas paludes in Albania
Lapideam Stephani grandinem hostes concussisse.
Heros heroi, vir viro succedit suppar NICOLAVS Stephano.
Prætextatam hic vixdum exuit ætatem,
Iam ipsi militare sagum Bellona aptavit;
Prius in militares adolevit dignitates, quàm in annos,
Iuventutis suæ florem in campum Martium transplantavit,
Non pulchriùs florere ratus, quàm ubi ferreo fæcundaretur imbre:
Sub glaciali Pharrasidis rota natæ Sarmaticæ Animæ,
Ad blandos Favoniorum emarcescunt afflatus.
In adamantinam obstinatus duritiem Annibal ad Alpinas Nives;
Ad vernam Campaniæ auram diffluxit otio inglorius.
Frigutit medias inter flammas Salamandra.

B Magna-

Magnanima indoles estò glaciali rigescat cataphractura,
Martialibus in pectore exœstuat ignibus.
Decimum vix & octavum ætatis agens annum NICOLAVS
Decumanus jam heros
Supremum ut 8 Martiæ fortitudinis attigit gradum,
Rothmagister Ductorq; Exercitûs creatus.
Ita & virides palmæ coætaneum amant ornare caput,
Et Bellona non æquiùs in consortium venit, quàm Purpureo Iuveni,
In florentissimo ætatis vere pululârunt illi triumphales laureæ.
Non aurum tantùm, sed & ferrum ubi sparsit NICOLAVS,
Magneticæ Polonorum adhæsêre Animæ,
Sub cuius auspicijs Moschos, Tartaros, Svecos, Cosacos, triũphârunt,
Non posuit tamen Sagum, licèt assumpsit purpuram;
Stetit in acie, etiam cùm illi Curulis Senatoria offerretur;
Purpuratus Mars, Senator Martius, dici omninò debuit,
Et ducalem Clavam, & Senatorium Clavum, utraq; amplexus manu,
Magnus maximi Parentis successor IACOBI,
Braclaviensis Palatini,
Hoc unico minor, qvia Filius.
Bina conspicuus CRVCE Andreas ad aulam Sigismundi tertij accessit,
Vt si quæ inibi reperisset vitiorum monstra,
Ad CRVCES damnaret.
Sed imperiti vulgi scomma est, Aulas sola parturire vitia,
Fæcundo ibi quoq; Virtus prodit censu:
Qvòd subinde enascantur scelera, in improbos culpa cadit.
Palæstram in Aula invenit Andreas,
In qva qvantùm profecisset,
Publica Reipublicæ deduxit utilitate,
E Pocillatore Camenecensi, Castellanus,
Ad nativum Cameneci Planetam Senatoriâ erubuit purpurâ,
Vt Nobilitatis illius Princeps non vanum diceretur,
Palabundam per subterraneas cryptas pennam
Splendidus in Illustr: AVO TVO circumfundit radius; ILLVSTRISSIME NEOSPONSE,
Cœlestem crediderim facem:

Quæ

Quæ, ut qvondam Magni Pontificis digitū lumine pr o didit,
Ita Stanislaum conspicuo indigitat splendore.
Non in Rupella ille tantùm Stationarius,
Verùm & in Camenecensi Rupe
In Christianitatis porta Cameneci Gentilitiam præfixit CRVCEM,
Vt validiori hoc sudeto Othomanicæ arcerentur Hydræ.
Et certè secura tunc super hanc Petram erat Ecclesia,
Neq; Othomanicam prævalere portam sibi potuit ominari,
Dum sacro hoc pietatis armaretur symbolo.
Affixus Rupi huic sanctior Prometheus
Graviùs in viscera sua desævientes Tauricanos expertus vultures,
In dies tamen in novum cor & animum reviviscebat.
Nō ut obsonantes delicato hoc inescaret edulio, sed enecaret.
Binâ jam Castellaniæ & Palatinatûs Braclaviensis tinctus purpurâ,
Laticlaviâ Podoliensi ornari debuit,
Quasi hereditario jure singulas in singulos transfusurus filios,
ANDREAM, PROCOPIVM, & FELICEM;
Nisi æqvitati huic mors invidisset,
Avulso Procopio, tam pulchrum dividens Ternionem.
Addidit ad honorarios Fasces onerum Acervos Patria,
Generalatus nimirùm Podoliæ omnibus,
Vigilantiores pro sui integritate experta Antipatros,
Ad confinia Podoliæ statuit Excubitores.
Depressam è suo nomine statio illa sonat vallem,
POTOCCIIS supremi fastigij erat conus,
Vt potè quib9 nō aliter in animo est honorari, quàm onerari.
Plerisq; eo nomine dignitas gratior venit, quo ditior,
Non item POTOCCIIS,
Quibus ibi eminere domesticum, ubi Patria esset casura.
Paries ille Poloniæ hostilitati expositus,
Aut veriùs Atrium non fortibus, sed fortissimis erat custodiendum,
Ne à fortiore occuparetur hoste.
Genuina Polonæ Aqvilæ soboles
Ad Podoliensem eluctari solē nativum habuit.

 Vbiq;

Ibiq; nonnisi ministravit fulmina è diametro,
Vbi hostis æstuantem contra Poloniam instauraret Sicaniã.

SPLENDOR III.

A Ducalibus Clavis & Illustrissimis inter Bellonæ faces Heroibus, in Illustrissimũ Neosponsum reflexus.

CAmpestres animæ, Gens bello nata POTOCCII Illustrissimi
A Laticlaviis dignitatibus ad Ducales Clavas vectigale evocatis pennam!
A Senatoria toga, ad militare sagum!
Augustissima quippe Honorũ Atria virtuti Vestræ angusta sunt,
Derogariq; sibi omninò rata;
Nisi in Martis campo latepatentes famæ decurrat hypodromos.
Hinc Sarmatici Sertorij
Serta & immortales coronas in Martiali prehenditis acie,
In qvas vobis Ducales efflorescunt Clavæ.
Recurrit vel millies repetendus Illustris: STANISLAVS POTOCKI
Supremus Exercituum Dux,
Inter Purpuratos Patriæ Patres, Cato; inter sagatos, Alcides;
Avus Tuus Illustrissime Neosponse!
Tantum Virum ut condignè ornâsset Patria
In honores se evisceravit,
Et licèt plurimos contulisset, parùm dedisse visa est.
Exspoliarunt se triumphalibus palmis Martialia laureta
In coronas Sarmatici Herculis,
Qvem non duodeni labores, sed milleni clarum reddidere.
Quantùm Patriæ vixit?
Non annis, sed victorijs computavit.
Famulatrices Polonæ Aqvilæ STANISLAO
A quatuor mundi partibus semper victrices prodibant,
Infusa Chocimensibus campis cum Osmano Turcarum colluvies,
Virtute Ducis huius ultra Tanaes & sævas abacta Propontides,
Rebelles Cosaci compositi,
Moldavi, Sveci, Prussi, Moschi, & undè undè sanguinea orbi Polono

Assu-

Assurrexit procella,
Vibrato armorum fulgore Iovis Lechici disparuit.
Paternæ Ideæ vivum exemplar,
Illustrissimus Dominus ANDREAS POTOCKI Castellanus Cracoviensis
Dux Campestris.
Hic demũ Polonæ Reipublicæ non cunctando,
sed armis disceptando, restituit rem.
Redivivus Xerxes,
Pro Hellesponto impetum Boristhenis objectu Gentilitiæ Crucis remoratus;
Et ubi Invictissimus Atlas Serenissimus IOANNES III
Lapsantem jam Occidentem succolantibus fulciret humeris;
Alcides Noster, Orientem torosis sustinebat artubus,
Ut nunquam firmior Christianus orbis esset,
Qvàm ubi his bajulis inniteretur.
Absente à confinijs Regni Majestate Regiâ,
Summa rerum ad Illustrissimum Ducem devolvitur:
Altissimo Magni Monarchæ judicio,
Eum domi posse indemnitati Civium sufficienter consulere;
Pro quorum incolumitate foris arma circumferre
In professo habet.
In nativo Podoliæ sole æstuabat Sirius
Threicius inquam Canis.
Fumabant hisce incendijs adulti Patriæ foci,
Terram illam melle & lacte fluentem ignobiles depascebant fuci,
Ad innubem Podoliensis Planetæ serenitatem.
Apricabantur ferreis instructa aculeis perniciosa Vesparum agmina:
Illustrissimus Dux
Colliso armorum sonitu, ac atrâ nitrati pulveris offusâ nube
Mitiora docuit sapere.
Non cõtentus honorarias in augusto Craci Vavelo consistere Cruces,
Nisi pro ferreis Boleslai columnis
Ad Boristhenem pro ultimis Regni limitibus easdem locet.
Experiuntur in dies damno suo vindicem huius Herculis Clavam

In mæotide enascentes Hydræ,
Iamq; minaci detumescunt supercilio,
Generosâ invicti Ducis compressæ dexteritate.
Militavit alibi pagina Illustrissimo NICOLAO POTOCKI
Officioso cum cultu per augusta Honorum atria secuta;
Et hîc auctorari sub Ducalia eiusdem signa omninò discupit,
Ingentis ejus gloriæ classico excitata.
A multis expetebatur procis Patria nostra:
Ne fœde prostitueretur, occurrit NICOLAVS.
Sed aureus Heros ferreis ad Cecorā bis adstrictus compedib9;
Documentum reliquit:
Ad Lunam Othomanicam heroica illa gesta non potuisse occultari.
Tuncq; non fugibundus sed latere volens NICOLAVS,
Ipsa servitute liberior, carcere clarior evasit.
Ibat demùm omnibus altior dignitatibus,
Humili clivo serpere sublimem nescius indolem.
Ad immortalitatis tamen Capitolium
Non pulchriùs invehi potuit, quàm electo Filiorum quaternione.
PETRO, STEPHANO, HENRICO, NICOLAO.
Retrocedit eo penna
Vbi à capite cordatissimi recensendi Heroës.
Ad ipsamq; radicem admovetur
Proceram consanguinitatis Arborem veneratura.
Non ignobilis huius surculus IOANNES POTOCKI
Dapifer Reginalis Majestatis Hungariæ:
Non ad Iordanem, verùm secùs decursus Aquarum
Regni illius nativarum plantatus,
Aureum Hungariæ pomum in se fecit maturescere,
Docuitq; vulgare nimium esse in proprio solo in fasces efflorescere,
At in novercante translatitijs viribus terra in pulchros adolescere fructus
Invitæ naturæ munus est.
Quid illos Martes ferreos GEORGIVM, ALBERTVM, ANDREAM memorē?
Quid BERNARDVM GEORGII filium Copiarum Polonicarum Præfectum?
Quem vocalis expeditionis Wisniowieccianæ toto orbe fama buccinat.
Desperato Marte isthic rem agebat Constantinus Ostrovius

Victo-

Victoriam á POTOCCIANIS Crucibus vidit sibi affulgere in BERNARDO
Edocto in Parente suo similia monstra superare.
Galeatus Olor ALBERTVS POTOCKI
Pro Caistro, Thracios, Boristhenes, Scythicos Danubios,
Balthicos in Prussia sinus accolens,
Hostilibus ad funera triumphali intonabat voce:
Octuagenario annorum pressus numero
Martiales adhuc spirabat animos.
Ratus copiosiorem esse messem in illis sulcis
Quos non tantùm gladius in corpore, verùm & effætæ senio ætatis
ruga inararet.
Ad hybernantis Bellonæ stativa non priùs decedere putavit,
Quàm cùm cana crinium evocaret pruina:
Nō passusq; ad ultimos etiā vitæ Decembres in patrijs considere focis,
Qui sub Ioue frigido edoctus est tepentes è galea potare nives.
Non aliterq; ex acie cessit,
Nisi supra devicto Casimiro suum erexisset trophæum.
Fulmineo metuendus Ense Filius Tonitrui
IACOBVS POTOCKI, plusquam Frater Domini,
Quia Illustrissimi Principis Augusti morum & vitæ Institutor.
Accessit Regio sanguini non parva decoris portio,
Cùm Regali coronæ nobiliores scientiarum gemmas IACOBVS inserebat.
Eruditio quippè licèt non eodem ubere quo lac sugitur,
Tamen Præceptorum imbibens mores, naturam eorū exsugit.
Cerea Iuvenum ætas facilè vitiorū monstra & virtutū suscipit Ideas;
Ad hanc vel illam Magistri Prototypon.
Gratularis Tibi in Augusto felicitatem Polonia!
IACOBO in acceptis refer:
Fortunæ Tuæ ille faber fuit cum teneram Principis indolem
in bonum flectebat.
In summa quod Augusto Atherodorus, Macedoni Aristoteles,
Theodosio Arsenius, Iulio Cæsari Apollonius, Augusto erat POTOCCIVS.
Bona sua Ecclesijs erogavit,
Vt pauperem in terris Deum suæ hæreditatis

ditaret accessione.
Vulgare qvidem Elogium est, & Plebeia panegyris
Aggregato in paginam influere impetu:
Sed cùm & Cœlestia numina communem sibi fieri
permittunt honorem!
In Deorum Matre Berecynthia universi coluntur cælites;
Eodem thure qvòd Iovi adoletur, & Iuno placatur.
Sufficere credimus
Ad explorandum Maris saporem unicam delibare guttam:
Vniversam Arboris supellectilem ab uno noscimus pomo:
Ex Avitis POTOCCIORVM decoribus
Metimur totius Illustrissimæ Domus magnitudinem.
Quidquid enim in Illustrissimo STANISLAO stupuimus,
Id in Germanis Fratribus
NICOLAO, GEORGIO, IACOBO, IOANNE, & CHRISTOPHORO
admiramur.
Armigero Parente prognata Soboles
IOANNES, IACOBVS, STANISLAVS,
IACOBO Palatino Bracłaviensi Generali Podoliæ,
Quid nisi Martialia spiravit fulmina?
IOSEPH, ALEXANDER, THEODORVS, STEPHANVS, DOMINICVS,
STEPHANI Palatini Bracłaviensis Nepotes,
PAVLI Castellani Camenecensis Filij,
Quæ Patriæ ornamenta?
Quos tam in Sago, quàm in Sanctiori toga Illustrissimos
Polonus colit orbis.
Patruos hi in Illustrissimo STEPHANO sapere edocti,
Grande futuræ posteritati gestorum suorum facessunt negotium.

SPLENDOR IV.
Patritijs Illustrissimorum Parentum decoribus conspicuus.

Pur-

PVrpuratos POTOCCIORVM cineres hactenùs coluit penna,
Grandem Illustrium Virorum umbram atrâ adumbrans sepiâ,
Rariores simul venerata Phænices.
E mortualibus Antenatorum enatos bustis
Nunc pleno se in laudes Tuas paginæ committit alveo
Magni Filij Magne Parens
Illustrissime Cracoviensis Palatine:
Quæ divisa beatos Prædecessores Tuos effecere,
Tu solus collecta tenes.
Felicem, Te FELICE Patriam!
Beatum tanto Parente Illustrissimum MICHAELEM,
Dum amplissimam meritorũ congeriem habes in qvem transfundas!
In alijs bona nõnisi Fortunæ in legitimã Filiorũ transeunt possessionẽ:
Ast virtutes & merita non semper successivâ in Nepotes gaudent
descendere hereditate.
Plerumq; Avorum gesta raro in Nepotum redundant favorem.
In filio quandoq; Paternæ annihilantur virtutes.
Non quod iniurius Parens plenum successori non cedat Ius,
Sed quod à recta linea Paternorum morum aberrans filius
Se ad eadem ipso facto inhabilitet.
Præivisti Tu magnis passibus ad virtutes & Honores
Filio Illustrissimo Parens Illustrissime!
Amantem Te probans prolis suæ Aqvilam.
Implumes adhuc pullos ita circumvolantem,
Vt sua discant seqvi vestigia.
Neq; deflexit à trito Honorum calle,
Iam spe supremas prætergressus dignitates,
Honorariam Crasnostaviæ administrans Præfecturam.
In Illustrissima quippè Domo Vestra nullus unquam parvus honor,
Nulla pumilla dignitas,
Quia magnitudine gestorum attollitur.
Insolito sanè proceditis modo, dum non à dignitatibus ornamentum,
Sed à Vobis dignitates suam mutuant æstimationem.
Pleriq; è demissa vallè periculosè ad summos eluctantur apices:

D An

An casu, an fortuna elati?
Ubi vel vertiginem capitis patiuntur,
Vel graviore decidunt casu.
Vos pulchram per Gentilitias CRVCES ad Honores agitis gradationem,
Adeoq; ad Senatorias Curules Ascensum ex illis instruitis purpureū;
Magni Sanguinis & pro Patria effusi cruoris murice rubescentem.
Non pulchriùs Sarmatici Soles in meridie coruscaturi,
Quám si ab hac Aurora exoriamini.
Si cui?tunc Tibi caro constitit rubore
Illustrissime Domine!
Ideoq; Domestica Domus Tuæ purpura nunquā veterascit,
Eo,quod bis,imò plùs tingeretur.
Crasnostavienses Tibi primo collati fasces,
Vel è suo ethymo speciosum stagnum sonantes,
Cùm priùs spatioso effusi sanguinis innataveris Erythræo.
Sarmaticus Hypanis à remotis Ponti oriundus Ostijs
Pacatis Te in Sokaliensi Satrapia est veneratus vorticibus,
Vt potè fortiorem Te expertus Xerxem.
Ferrea perpessus vincula
Meritorum interpres Tłumaczoviensis Curulis,
Ropczycensis demùm, & Nizinensis,
Totusq; Honor illabi in sinum Tuum videbatur:
Nisi his omnibus Indoles Tua eminuisset.
Invidit Te demùm Terris an districtibus Sarmaticus Iuppiter
Saturum jam bellis ad sapidiora altiorum Honorum bellaria
Subdapiferatûs Regni evocando.
Sed & hic non dapsiles obsonabas cupedias,
Verùm ferreus Martis pullus plumbeos pro Patria globos
Sanguinea Bellonæ toties instaurabas edulia,
Quoties victrici ferro grandes hostium exstruebas acervos.
Infamem Offam famelicis objciens Erisichtonibus
Qui ad nocturnam sui Planetæ lampadem
Thyæsteas epulari cænas Te Archimagiro cogebantur.
Applausit tantæ solennitati Patria;
Tibiq;

Tibiq; decumanis perfuncto gratificatura laboribus,
Vt inter purpuratos Patriæ Patres sederes,
Siradiensem obtulit Curulem.
Et ubi necdum benè desiccato madida cruore barbaries
crapulam edormit,
Securiorem sibi Te Senatore rata qvietem;
Cùm ad rubescentem hanc Auroram evigilavit,
Attenuata Lunæ suæ advertit cornua:
Quemq; mitiorem sperabat,
Purpurâ efferascentem agnovit Elephantem;
Ad Senatorium Muricem graviorem experta Tyrum.
Ita Tu Illustrissime Domine togam induisti,
Vt sagum nunqvam exueres.
Pulchro quodam connubio
Honorem Bellonæ, Dignitatem Marti iunxisti.
Etiam cùm Senatorem agis, Martem non diffiteris:
Honorarijs fascibus triumphales inserendo laurus.
Excessisti Meritis omnia Dignitatum culmina:
Vnicus Cracoviæ Vavelus pro summo stetit Honorũ fastigio
Vltra minores clivos & àëris iniurias altiùs evectus,
Qvas illi Martiali acinace inarasti notas,
Olympi more securæ præsentabit posteritati.
Ivisses altiùs Illustrissime Domine!
Nisi sanguinis in Te prævaluisset reverentia,
Vt primâ Senatorij ordinis naturæ suffragio electo fortè ANDREÆ
Tu secundus qvia FELIX successisses.
Rara hæc fratrum fortuna
Non communi tantùm Illustris propaginis gaudere origine
sed & Dignitate.
Castor & Pollux ex eodem ovo Ledæ geniti fortuna tamen dispares,
Vnus nimirùm ortu suo alterum præcipitat in occasum.

Vos Illustrissima Poloniæ Sydera
ceu gemini Tyndaridæ
Eclypsari nunquam didicistis,
Quia non ad stititio, verùm proprio splendetis jubare.
Longissima Heroicorum gestorum Tuorum Tasis
Oratorium excedit ac defatigat spiritum.
Atra sepia derogat virtuti Tuæ,
Cuius solennis memoria rubeo meruit in æternitatis Ephemeridibus
adnotari colore.
Grandia puncta gestorum Tuorum ceu propriæ sunt periodi:
Ad Niemiroviam, Comarnum, Całussium, Chocimum,
Nunc recentissimè ad Viennam erecti in altum hostium tumuli.
Vaticinabitur de Ossibus illis subseqvens posteritas,
Et citra miraculum putabit vivere,
Vbi vocales Martiæ fortitudinis audiet Præcones.
Ita tamen tractas Castra,ut Tibi in consortiũ veniant & Astra.
Ibi enim felicia circumtulisti labara:
Vbi terminos productæ Fidei habere exoptabas:
POTOCCIANÆ virtutis argumentum ostendendo,
Gentilitijs CRVCIBVS non nisi in Calvariæ clivo locum esse,
Vbi colles albentibus hostium assurgerent ossibus;
Et Pietas suum figeret domicilium.
Venit in consortium Tuum Sanctior ævi nostri Helena
Illustrissima Consors CHRISTINA LVBOMIERSKA
Propagandi honoris Divini zelatrix fervidissima!
Exstant munificentiæ Vestræ præter tot dotatas Ecclesias;
Non mediocria argumenta,
Extructa recenter Sanctimonialium Sokalij Basilica;
Fervet adhuc cum zelo Vestro opus;
Et ubi in altiora muri excrescunt fastigia,
Coelo, Saeratas Vestras propiùs admovent Animas.
Et SERAPHICUS FRANCISCVS
Nova in dies à CRVCE Vestra accipit beneficiorum Stigmata;
Tuti-

Tutiusq; Srzeniavianis circumfunditur alveis,
Quàm Mæandratis Hypanis refluxibus.
Et quidem ad hoc Trophæum Gentilitium
Mariana Scholarum Piarū se humili ausu spectare proclamat Religio
ILLVSTRISSIME DOMINE!
Te suum ubiq; profitendo Fundatorem.
Sit! quòd succensentibus ita felicitati nostræ Fatis factum fuerit,
Vt usq; eò in intimiorem Tuam non assumamur clientelam,
Sat, qvod pridem benefico gloriemur affectu.
Nempè etiam longiores moræ, largiori gratiarum rependuntur fænore.
Tuâ voce & Chelmensis Dodona nostra vocalis facta,
Nec non Illustrissimi Dñi HIERONYMI LVBOMIRSKI Mareschalci Curiæ Regni,
Cuius, amicus Clasibus nostris, fluvius,
Suis Hypocreneos fontes auxit profluvijs.
Sed heus? è continenti in LVBOMIRSCIANVM Srzeniavā protruderis Eloqventiæ Argo!
En date SRZENIAVIAS pavitantia vela per vndas: tempus & aura vocat:
Vbi Tuæ velificandum est gloriæ ILLVSTRISSIMA DOMINA:
Te in Majoribus Tuis, Majores Tuos in Te venerari expedit.
Manuum Vestrarum plasma sumus ILLVSTRISSIMI LVBOMIRSCII!
Vel eo magìs, quod hucusq; liberali gratiâ nos fovere non desistitis.
Vtq; ex æquo Vos Fundatores dicamus,
Illustrissimis Avis & Parentibus creationem,
Vobis Conservationem adscribimus.
Innatant Vestro Flumini Podolinenses & Rzessovienses Classes:
Illæ ILLVSTRISSIMI STANISLAI Cracoviensis Palatini,
Hæ GEORGII SEBASTIANI magni Mareschalci Regni liberali instructæ dexterâ.
Amica scientiarum Nomina,
Cùm se, & sua liberaliter illis instaurandis impendissent,
Scholastica etiam copiosè dotarunt Numina.
Et ne inermes essent Scientiarum Præsides,
GEORGII hasta, Palladi; SEBASTIANI sagittæ, pharetrato cesserè Apollini;
Sanctius STANISLAI pedum
Non sepulchralem lapidem, verùm duras Carpathi rupes ubi pulsavit,
Vivaces inspiravit Scientiarum spiritus,
Sine quibus (è politici oraculo) mors est, & hominis vivi sepultura.
Ex hoc fonte diffunditur in Panegyres Tuas eloqventia, ILLVSTRISSIMA DOMINA!
Fundatorum nostrorum Neptis, & Filia, MATER Nostra;
Hereditario jure ab Avis, & qui nascuntur ab illis, affectum etiam nostri possidens.
Debeat fæcunditatem suam Ægyptus Nilo; nos Flumini Tuo felicitatem;
In quo nonnisi illimi translucens diaphano gratiarum Tuarum splendescit candor;

Ibi solus fertilitatem conciliat limus.
Quid Illustr: Fratres, STANISLAVM & HIERONYMVM Regni Mareschalcos memoræ
Sepulchrale STANISLAI marmor, & HIERONYMI lapis, Cotes sunt ingeniorum.
Mareschalcales baculi: grandes virtutum decempedæ.
Labare nescit Patriæ felicitas, his firmioribus sustentata fulcris.
Plena his debentur historicorum volumina, quorum tam præclara in Patriam gesta.
Nec ea subsecivo convenit adnotare calamo Nomina,
Quæ Diviná quâdam Apotheosi
In Polono Polo, terrestria quodammodò mutata in Numina:
Mars clypeo melior, Phæbus præstantior arcu.
Hos igitùr profundâ nisi adorare expedit veneratione,
Quibus centenariæ in holocautoma non satis sunt hostiæ.
Metiri hîc Patritium Vestrum SRZENIAVAM non attentat calamus,
Ne naufragium patiatur.
Exilem eloqventiæ lembum committere non audet Orator tanto Flumini,
In quo milleni desudare possunt, triumphare nequeunt.
Ad ripas nonnisi Cygnorum more omnes considere malumus,
Etiam inter funera Vestras decantaturi laudes.
At hic pro Epyro Fluvius Tibi ILLVSTRISSIME NEOSPONSE Nuptialem accedit Face:
Hi Materni & Paterni splendores festam Hymenæi Illustrârunt diem.

SPLENDOR V.

E nativis ILLVSTRISSIMI NEOSPONSI dotibus depromptus.

TV tandem grandis Syllabus Majorum Tuorū superes
ILLVSTRISSIME NEOSPONSE!
Qvidqvid in illis rudis jngenij adumbravit penicillus,
Id sublimis indoles Tua insignibus in Te expressit lineamentis.
Illudqvoq; generosæ Virtutis argumentum est,
Ita præclaræ originis memoriã excolere, ut perennare digna sit.
Stimulus est ingenui animi recordatio natalium:
Vt, qvam acceperunt fortunæ beneficio claritudinem, suâ augeant.
Aliàs ignavi heredis est,
Ita in accepto à Majoribus patrimonio conquiescere,
Vt de proprio adijciat nihil.
Primos ortus Tuos Sarmaticus Illustravit sol,
Serenissimus MICHAEL Poloniarum Rex:
Quem si ex aquis eluctari dixerimus,
Tibi primo ad sacrum illum Baptisterij affulsit fontem.
Optimè serenâ illâ Regalis purpuræ amænitate prænuntiavit,

In

In sudo Te Honorum olim radiaturum meridie PVSILLVS ATHLETA.
In Martios labores ungebaris ceromate,
Daturus triverbium illud sanguineæ inquisitioni,
Qvis ut DEVS?
Admovebaris Regio pectori pectoralis loco;
Non horis, sed momentis Magni Monarchæ cor pulsando.
Sacratior Phæbi huius Filius, licèt non Phäëton,
In intimiorem tanti Patris securus ruisti amplexum,
Non qvadrigas, sed Curules Senatorias accepturus,
Quibus per spatiosum Sarmatici Zodiaci decurreres Hemisphærium.
Candida veste tunc amictus, magnorum Honorum factus es inde Candidatus.
Benè à fascijs, ad Capitaneatûs Crasnostaviensis destinabaris fasces,
Vt ijsdem Honor Tuus alligaretur vinculis, qvibus & TV.
Demùm intra Crasnostaviensis Castri captivatus turres,
Non infra gloriam habet ijsdem attineri cancellis,
In qvibus purpuratus quondam Austriæ degebat Monarcha.
Alijs vix serus provectæ ætatis Autumnus asportat fructus,
Tibi primum gemmantis Iuventæ ver in honores adolescit:
Ipseq; Aprilis in Septembrem transit,
Themidis Crasnostaviensis Librâ conspicuum.
Ex vano teneram ætatem querimur plurimis obsistere ad dignitatem;
Atalantæ huius gaudet consortio Hippomenes,
Qui in his olympijs Celerinus, à iuvenili robore habet suffragium.
Allicitur quandoq; puerilibus pomis, & nucibus,
Si à maturæ indolis planta avulsæ fuerint:
Imò ipsa Numina ætatis quoq; placantur primitijs.
Alijs vicinus paries, ultimus orbis videtur limes,
Tibi externæ Regiones domesticæ:
Quæ licèt intensiori caleant sole, Tu nec extra Patrium clima defluxisti,
Qui in vitia flecti non fuisti cereus.
Et esto à gelido vrsæ Sarmaticæ polo glacialis fueris anima;
Non tamen inter Galliæ lilieta ad lubricæ ætatis lapsasti licentiam.
Equidem plurima in usumproprium, & Patriæ commodum, inibi decerpsisti;
At nimium cautus; ne saucius, quidquam erubescendum relinqveres.
Extorris à Patria, non tamen à Paternis moribus,
eos ubiq; circumferendo.
Multi peregrinas ingressi terras, peregrinos induunt mores,
Eorumq; contrahunt habitum, apud qvos & habitant:
Quasi verò necesse foret, si à nativo solo, etiam ab agnata abscedere virtute.
Te verò Illustrissime, Domine MICHAELEM quælibet regio, & regia mirata est,
Qui & parta diviné tueri, & ad ardua virtutum evolare nôsti,

Nunqvam mutatus nisi in meliùs.
Parturiebat grandes de Te spes Patria: sed feliciores enixa eventus,
Dum è Gallia redux, in Belzensibus Comitijs deduxisti evidenter,
Parem Te torosis Atlantibus Gallicanum Herculem;
Pendente ab ore svavis eloqvij catenâ
Suspensam in sui admirationem satrapiæ illius tenente Nobilitatē.
Quis hîc lætitiæ sensus Illustrissimo Parenti Tuo?
Qvæ purpuratorum Patriæ Patrum de Te omina?
Qvæ Reipublicæ Polonæ expectatio?
Tenera Scipionum soboles Mareschalcali insignitus baculo
In firmam adolevisti columnam Patriæ;
Cumq; omnium liberas in Te voces deflexisti, singulorum meruisti elogia.
Grande laudis Tuæ argumentum Magni Poloniarum Alexandri fidus Ephestio
Illustrissimus Dominus MARCVS MATCZYNSKI Belzensis Palatinus.
Hic Sarmaticus Apollo vivæ vocis suæ comprobavit oraculo:
Consumatam in Te prudentiam, omnia matura, præter ætatem.
Egisti quippè eloquio Tullium, Consilio Catonem, dexteritate POTOCCIVM.
Nec hæc sine victoria est, ita Civium animos triumphasse!
Felici sanè omine!
Vbi his victricibus palmis Hymenæi inserta pinus
In æviternam amoris exarsit flammam,
Tibi nostro Salomoni,
Qvi è multis electam advitalitio fœdere obstringis Tibi
Sapientiam.

Qua